



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. I. Quis sit locus sepultaræ secræ, & Ecclesiasticæ, & quo in loco possit
quis, vel debeat sepeliri?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

sequenter in acquirenda monasterio tali hereditate, nihil opus est monachi potestate, & hinc probabile valde est, quod invito etiam monacho, aut infcio, hereditatem illi relata acquirere possit monasterium, omnibus alijs hereditibus exclusis, (cum in acquirendo non se habeat ut servus, respectu domini Religiosus, sed ut filius familias respectu patris) & quod hereditas delata monacho, hoc etiam postea mortuo, vel ad aliud monasterium translato, adiri possit a monasterio, in quo, dum illi deferretur hereditas, vixerat, quia jus ad eundem huic monasterio jam acquisitum est.

Secundo certum est, quod monasterium non succedat ei, quoad delatam huic hereditatem, qui Novitius adhuc moritur intestatus, cum enim nondum hic monasterio se dedicaverit, plene, quoad suam personam, consequenter nec accessoria in monasterium translata censentur, sed plenum adhuc jus penes

ipsum manet, de talibus bonis disponendi, & si non disponat, hereditibus ab intestato, sua jura integra manent.

Tertio potest quidem per consuetudinem legitime spatio quadraginta annorum prescriptam, excludi monasterium a successione in bona tam mobilia, quam immobilia sui professi, ita ut bona talia hereditatis jure ad filios, vel consanguineos deferantur (quia, cum hoc jus succedendi monasterio competat, solo jure humano, consequenter per contrariam consuetudinem abrogari hoc potest) statutum tamen municipale, aut provinciale, quo statuitur, excludi debere a successione sui professi monasterium, vel ut parte aliqua contentum, alijs privatum maneat, nullum est, & invalidum, tum quod sit in prejudicium religionis, tum quod sit contra immunitatem Ecclesiasticam, & privilegia tam a jure Canonico, quam Civili concessa, tum quod disponat de personis seculari jurisdictioni non subiectis.

TITVLVS XXVIII.

DE SEPULTURIS.

§. I.

Quis sit locus sepultura sacra, & Ecclesiastica, & quo in loco possit quis, vel debeat sepeliri?

De jure Canonico locus sacrae, & Ecclesiasticae sepulturae ordinarius est, Ecclesia, vel cimiterium, vel locus publicae auctoritate Episcopi pro sepulchris fidelium deputatus: & quamvis in

propria Parochia, in qua domicilium quis habuit, & Sacramenta percepit, de jure communi sepeliri quis debeat, si tamen habeat sepulchrum majorum suorum, patris v. g. avi, vel aliorum ascendentium extra propriam Parochiam, in illo loco sepeliri debeat, cap. 1. h. t. nisi propriam alibi sepulturam sibi elegerit cap. Is qui 3. h. t. in 6. ita ut si in villa v. g. ad quam recreationis gratia, aut ut ruralia

LZZ EXE

exerceret, ad tempus secesserat aliquis, moriarur, ad majorum suorum sepulturam, vel ad Ecclesiam suam parochialem deferri debeat sepeliendus, nisi propriam sepulturam sibi alibi elegerit, aut deportari aliò cadaver commodè non possit, juxta citatum *cap. Is qui in 6.* Uxor tamen vidua non in sepulchro majorum suorum, sed in mariti sepulchro sepeliri debet (etiamsi ad domum patris, vel alium locum se transtulerit, quia censetur etiam in tali casu domicilium sui mariti retinere) si nullà sepulturà electà decesserit; & quidem si plures maritos successivè habuit, in sepulchro sui ultimi mariti, prout statuitur in citato *cap. Is qui §. Mulier.* attendenda his in rebus loci consuetudo, quæ facile etiam docebit, ubi maritus sepeliendus sit, si nullà sepulturà electà mortuus post uxorem fuerit.

§. II.

Qui sibi vel aliis sepulturam eligere possint, vel non?

Concessum est regulariter omnibus, tam masculis, quàm fœminis in aliena etiam Ecclesia, aut cœmeterio, extra propriam parochiam sepulturam sibi eligere, modò sint puberes, & liberum arbitrium, seu usum rationis habeant, uti colligitur *cap. 1. h. t. juncta Glossa V. propriam.* ita ut si in loco minus religioso, minus v. g. à publicis sacrificiis, aut precibus &c. frequenti sepulturam rationabiliter aliquis eligat, validè, & licitè hoc factum fuerit *cap. cum quis h. t. in 6.* & quamvis filius familias disponere non possit de bonis suis, nisi castrensis illa

sint, aut quasi Castrensis, illius consensu Patris sui, absque hoc tamen liberè sibi sepulturam eligere potest, *licet 4. §. quamvis h. t. in 6.* cum in spiritualibus juribus non sit ita subiectus patriæ potestati, sicut subiectus est in bonis temporalibus; pro filius tamen puberibus, si consuetudo regni permittat, possunt pater, aut mater, propinqui etiam alij, si ascendentes habeat, infra annos pubertatis mortuibus sepulturam eligere, consuetudo scilicet hanc licentiam concedere. Religiosi tamen sepulturam eligere possunt, cum nec proprium velle, nec nolle habeant, sed in Monasteriis sepeliri debent, nisi adeò remota à Monasteriis moriantur, ut commode ad sua monasteria deputari non possint, quo in casu etiam illis conceditur sepulturam eligendi licentia, prout colligitur ex *cap. Religiosus §. h. t. in 6.* vel si illi elegerint, sepeliendi in monasterio ejusdem Ordinis, si in civitate, aut in loco ubi decesserunt, tale monasterium non habeatur, in quo commoratus, aut moruus fuerit, vel si extra tale monasterium vixerit, & mortuus sit, extra parochiam etiam in Ecclesia Parochiali, ubi Sacramenta percepit, sepeliri potest. Potest tamen Prelatus ordinis Religiosi, qui in ordine tali se superiorem non habet, sepulturam sibi extra Monasterium eligere, cum ratio constitutionis prelati hanc electionem religiosi, non prohibentis hanc electionem religiosi, non prohibent, scilicet proprium velle & nolle non habeant, non probet contra tales Prelatos, qui sub nullius in suo ordine possunt, & in multis proprium velle & nolle habent.